



X 450



Q. D. B. V.

DISCURSUS PHYSICUS

DE

CASEO,
ut est alimentum,

Quem

AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
SUFFRAGANTE

IN ILLUSTRIS SALANA

SUB PRÆSIDIO

M. JO. ANDREÆ *Schmidten*/
Facult. Philos. Adj.

Publica & placida Eruditorum cognitione exponit

Auctor Responsurus

FRIDERICUS Käseberg/ Burgtorp. Cell.

ad diem Augusti, Anno M DC LXXX.

J E N Æ,

Literis WERTHERIANIS.

X 150 (88)



MAGNIFICO
HUIUS SALANÆ
RECTORI

VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo
atque Experientissimo*

DN.

GEORGIO VVOLFANGO
VVEDELIO,

Med. Doctori ac Theoret. P. P. celeberrimo,
Medico Ducali Saxonico, S. R. I. Naturæ
Curios. Adjunct. Herculi, & Acad.
Recuperatorum in Italia Collegæ.

*DN, Patrono, Præceptori ac Studiorum suorum Pro-
motori officiosè plurimumque colendo
testanda observantia*

Ergo

Hancce Dissertatiunculam

Offert, dedicat

Fridericus Käseberg/ Med. Stud.

Si perceptio in sensibus rite fieri debet, requiritur ut pars bene sit disposita atque temperata, nec eo, quod percipiendum est, imbuta.

Sensibus percipiuntur res varia ex quibus quaedam, dum à nobis remota sunt, percipiuntur, quaedam vero non nisi sensoria tangunt.

Dum objecta percipiuntur, sentimus in nostris corporibus alterationem quandam, quae si objectum excellens fuerit, sensorium ledere potest.

Objecta dum non omnia sensorium tangunt, recipiuntur per species sensibiles, quae sunt quasi simulacra, ipsa objecta sensibilia in sensoriis representantia.

Sensibilia quemadmodum sunt in corporibus atque substantiis naturalibus, ita illa percipiuntur non haec.

Ex sensibilibus quaedam pluribus percipiuntur sensoriis & ea dicuntur objecta communia, quaedam vero non nisi uno & sunt propria.

Sensus est rerum existentium & praesentium tantum, non tamen omnium sed solummodo corporearum, quae non modo mobiles sunt sed etiam variis qualitatibus materiae quasi impressis constant.

Sensus pro actu primo sumtus est vis vel potestas anima, quae id, quod ipsam habet, susceptis sensibilibus simile factum intercedente alteratione quadam, atque adhibita actione, eadem sensibilia judicare valet.

Appetitus est motio illa, quae ad cognitionem rerum vel jucundarum vel molestarum in animali excitatur.

Loco motio est ea, quae animal ad arbitrium & post appetitum, vel toto suo corpore se transfert, locumque mutat, vel certas saltem partes agitat ac commovet.

Quinque dantur sensus, visus, auditus, olfactus, gustus atque tactus, quem numerum Aristoteles probavit, tum ex diversitate sensibilibus propriorum, tum sensoriorum, tum quia in homine animalium perfectissimo saltem quinque dantur.

His

His addit Lullius sed frustra affatum & Scaliger tactum venereum tanquam sextum sensum.

Visus est potentia receptiva colorum, recipiendo eorum species per perspicuum illuminatum interventu oculi sine materia.

Visus fit ex mente Aristotelicorum per oculorum, humorem crystallinum, vel uti recentiores optici conendunt per tunicam reticularem parte oculi postica constitutam.

Visio per receptionem non per emissionem fit.

Auditus est potentia receptiva sonorum, recipiendo eorum species sine materia, per medium transsonorum interventu auris, & in ea implantati aeris.

Sonus est passio aeris provenitque ex ejus motu fractivo à corporibus, qua apta sunt sonare.

Olfactus est potentia cognoscens odores, recipiendo eorum species sine materia, per medium transodorum interventunarium.

Ex his sensibus nullus omnibus animalibus videtur in esse, nullus etiam cum altero ita conjunctus, ut semper eum ea adsit.

Gustatus est potentia cognoscens saporés interventu lingua, & huic ingenta humiditatis, sine extrinseco intermedio.

Tactus est potentia cognoscitiva qualitatatum tactilium, recipiendo earum species sine materia, & absque externo medio interventu temperati organi.

Ratio ob quam potentia tactiva inest partibus est temperies corporis animalis secundum omnes differentias, qualitatesve corporeas.

Sensus esse fallaces sententia est maximè fallax.

Præter has cognitiones tribuuntur etiam animali alia quadam potentia, sensus sc. communis, phantasia atque memoria.

Sensui communi pro objecto assignatur sensibile simpliciter, phantasia verò judicium de omni re sensibili, etiam sensus communis objecto; memoria specierum, que sensus moverunt, adservatio vel custodia, quam tamen alii pro distincta à reliquis potentia agnoscere nolunt.



DISSERTATIO

De C A S E O.

§. I.



Avete linguis naribusque quotquot acceditis, apponimus hic edulium non in aula natum, sed in caula, caseum puto, nec omnium linguis nec naribus omnium gratum.

2. Ut verò constet, quis ille & qualis fiet, paucis præmittimus nominis considerationem.

Ubi notandum venit, quod Varro eum deducat à coacto lacte, quasi coaxeum diceret. Isidorus (a) verò, quia sero careat, quasi careum. Scaligero Caseus est oscum & idem olim significabat, quod vetustum. Caseus ergo lac vetustum & coactum & concretum.

J. P. Lotichio (b) derivatur à casa, cum is in casis caulisque haud quidem in aulis prematur; hinc etiam pastoribus atque opilionibus formatio casei à Poëtis & aliis Scriptoribus ut plurimum adscribitur. Quæ derivatio ceteris præferenda videtur.

3. Germani latinam vocem imitantur & massam illam, Râß nominant, quamvis prisca Germani (c) caseum Romanorum more non paraverint, sed alia vulgaria ex lacte. Columellæ dicitur concretum lac, Galeno lac glaciatum & coagulatum: Græcis audit τυρός hinc τυρόμαχος, i. e. is qui caseum aversatur, & compositum Tityrus, Satyrus, homines agrestes caseum olentes. Gallis dicitur fourmage à latino vocabulo, quod Plinius habet formaceo, quoniam in forma inferciuntur, eaque forma casearia vocatur Columellæ.

4. Misso nomine, rem ipsam consideramus. Caseus nobis erit, massa quædam ex lactis partibus alimenti causa coagulata. Massam esse caseum patet, quia (sunt verba Galeni (d) quod

non

(a) l. 20. Orig. c. 2.

(b) tr. de cas. nequit. p. 10. & 12.

(c) Conring. de hab. corp. Germ. causis p. 63. 73.

(d) de simpl. è la. med. fac. p. 153.

(e) *hist. anim.* l. 3. c. 20. e lacte crassum est cogitur in caseos, vel si Aristotelem (e) audire mavis, quia genus unumquodque lactis habet tum saniem dilutam, quod serum vocamus, tum corpulentum quiddam, quod caseus dicitur.

5. Materia hujus massæ est lac animalium, quod secundum communiorem Physicorum & Medicorum opinionem, ex sanguine, juxta recentiores verò Anatomicos quosdam ex lacte in uberrum glandulis perfectius coctò & alteratò conficitur. Ejus partes tres constituuntur, serosa, caseosa, pinguis. Interdum conficitur ex partibus, quæ nondum privatæ sunt suâ pinguetudine, & sic ex caseosa & pingui, quæ caseum mitiorem constituunt, qui solus antiquis Romanis casei nomine veniebat, & ne nunc quidem nisi in paucis Germaniæ populis multo pecore abundantibus paratur. Interdum ex crassiore & terrea magis lactis parte nimirum caseosa fit caseus, sed est vilior & palato etiam ob subductam partem pinguem ingrator. Quandoque etiam fit ex parte serosa, & est ille, qui nominatur reeocra.

(f) *Plin. H.* N. l. 11. 41

(g) *H. an.* l. 3. c. 20.

6. Ceterum non omnia animalia (f) lac præbent ad faciendum caseum, quædam enim secundum Aristotelem (g) plus lactis habent, quam quantum exigatur, ad alendam sobolem, & eorum lac utile est ad caseationem. Quæ vero non plusquam alendæ proli habent, eorum lac inutile est ad caseationem. Cujusmodi ea sunt, quibus plures duabus sunt mammæ: nam ab his neque copiam habent, neque casei usum.

7. Mirum autem est, quod Ælianus (h) scribit: Æschylidem de re rustica narrare, in Cio Insula, agricolas spinas quasdam ferere, è quibus, quod emanarit, lac coagulare, & in optimum caseum convertere, quem Cynthium (forsan acanthium) vocant, & ejusque talentum venire drachmis centum & nonaginta. Sunt quidem multæ spinæ, quæ lac habent, nulla tamen nobis nota est, quæ lac caseo aptum præbeat.

(i) *l. de lytibi-* as. c. 3. §. 7.

8. Cum igitur caseus ex his partibus constituatur, ostendendum nunc porro est, quomodo hæ partes coeant & ab aliis separantur. Helmontius (i) quidem inter quindecim condensationis modos & illum recenset, cum innato glutine plurima sponte concresecunt; ac postmodum arescendo durefcunt, ut sanguis, caseus, albumen, vernisium &c. sed tamen illud innatum gluten

non

non exprimit. Est autem id, quod casei partes in unum cogit coagulum, à Scaligero quasi forma casei salutata. Quo nomine nobis venit omne illud, quo liquor aliquis constipatur; & primo quidem alba illa substantia, quæ reperitur in animalium ventriculis, quæ adhuc lactant; dein juxta Aristotelem (k) & Plinium (l) succus ficulnus, secundum hunc (m) lac asinæ, quod crassissimum putat, cum tamen medicorum judiciis id falsum sit, qui tenuissimum post humanum esse putant; juxta Bruyerinum (n) cogitur lac cinaræ pñlpis, gingibere, & lucii piscis extis quibusdam, novitio sane invento & gulæ acceptissimo. Unde verò coagulum hanc vim habeat, inter autores non convenit; si loca Aristotelis citata (o) attendimus de coagulo, imputanda erit calori, quem ea, quæ ad coagulationem procurandam adhibentur, secum vehunt; ita enim loco ante citato scribit: frigore non coit lac, quin in serum potius solvitur, ab igne *πύρουται καὶ παχύνεται* concrescit & crassescit. Ubi simul notare licet, insignem quandam fermentationem, quæ subsidio acidi simulque moderate calidi spiritus procuratur, ad hoc ut in lacte serosæ partes à crassioribus separentur & consequenter partes crassæ & terreæ lactis in unam massam casei cogantur.

9. Conficitur caseus alimenti causa. Nam ex alimentorum classe rejici non potest, quamvis plurimi ejus usum damnent in totum, de quo tamen infra cum prius variæ casei differentiæ assignatæ fuerint, nunc saltem ad experientiam provocamus: Robustissimos enim quosque agrestum cernere est vesci indies non dicam mitiore illo caseo, sed rudiore, (p) idque cum virium eximio incremento, sine ulla valetudinis jactura, citraque omnes illos morbos, quos sollicita nimis medentium cura vulgo jubet metuere,

10. Præcipuæ casei differentiæ (q) desumuntur vel à provinciis & urbibus, hinc autoribus probatur Sicular, Tromilicus, (r) Vestinus, Trebulanus, & Lunensis, hodie verò Germanis nostris laudatur Parmensis, Hollandus, Goudanus & Edamensis, Leidensis viridis Gravisandensis, Tessalicus, in Brabantia Rillavien- sis; in Leodicensi tractu Hevriensis, Frisius, Bohemus, Rhætus &c. vel ab animalibus, ut alius dicatur Vaccinus, alius Oyillus, ca-

(k) *Hist. Anim.*
l. 3. c. 20.

(l) l. 16. c. 38.

(m) l. 11. c. 41.

(n) l. 14. de
re cibar. c. 1.

(o) *addc l. 2.*

de gen. an. c. 4.

conf. Plin. l. 16.

(p) *Plin. l. 11.*

c. 42.

(q) *Plin. l. 11.*

c. 42.

(r) *Athen.*

Deipnosoph.

l. 14. c. 22.

pinus, Asininus, Equinus &c. vel ab ætate, ut alius sit recens sive infans, alius mediæ ætatis, alius vetulus atque edentulus: vel à conditura, salitus, & non salitus, ac prout variis herbis, vel aliis rebus subigitur.

(s) *Plin. l. c.*

II. Moris fuit veteribus (s) Romæ ac in plerisque Italiæ locis colorandi siccandiq; casei gratia ex culmis aut malignis viridibus que lignis fumum facere. Nunc verò illa infumandi caseum consuetudo ex toto desit. Sed colorantur etiam hodie apud varias nationes succis herbarum expressis, vel aliter. Magno in honore est & expetitus viridis, præcipue qui Gravesandæ paratur, & in Insula Hollandorum Tessalia. Viorem istum rustici caseo conciant, non herbarum succis, sed alio mirabili modo: colligunt sterus ovillum duriusculum per agros & ericeta, in quibus errant & pabulantur oves, sparsum: temperant id in sero lactis, quod exprimitur. Miscet presso lacti, hoc inde virescit, saporemque acquirit pergratum acutumque.

II. Antiphanes Poëta hæc discrimina caseorum notavit. Recentem ac mollem vocavit CHLORON: aridum, XERON: prædurum, COPRON: tonsilem ac rasilem, XYSTON: scissilem, ADMETON: coagulatum colastratumque, PECTON: acescentem, OPIAN: gracilem, sed lata forma, THESIAN: Sed hæc differentiæ iudice Isaaco Casaubono (t) non veræ sed fictæ sunt à Poëta.

(t) *In Anim-
adv. in Athen.
l. 10. c. 14.*

13. Ex hac jam constituta casei natura & differentia aliquid pronunciare licet de caseorum qualitatibus specialibus. Nimirum caseus recens non salitus, uti gustui gratior, sic ventriculo quoque melior videtur, cum quippe non offendens, facile ac ex adverso concoquendus, digerendus, simulque pinguedinem aliquam alimento adferens. Caseus deinde recens salitus cum æqualitate, propter salis admistionem ad aliqualem caliditatem tendere videtur. Et hic stomacho priori fortassis non minus gratus existit, & eadem præstat, licet non cum tanta efficacia. Caseus porrò vetus salitus calidæ & sicæ complexionis, si Medicorum experimentis credendum, obstruit, humores cholericos multiplicat & ad digerendum gravis est. Ne autem talis evadat, Plinius (u) notat, caseum si cerebrum mustelæ coagu-
lo-

(u) *l. 30. c. 15.*

lo addatur, non corrumpi vetustate, aut à muribus attingi. Medius verò medio modo se habet inter hæc extrema, & variat secundum quod participat aut magis aut minus ab extremis.

14. Caseus ovinus melior putatur caseo & vaccino & caprino, quod ille caseus melior sit, qui (cæteris paribus) ex lacte fit meliori, sed lac ovinum est melius; cum enim (ajunt) lac naturam & complexionem animalis, cujus est, imitatur, talis erit proportio naturæ & complexionis lactis animalium, qualis est naturarum & complexionum animalium inter se: Sed complexio ovis est melior complexione capræ & vaccæ, quia calida & humida, capra & vacca frigida & sicca: quapropter complexio lactis ovis complexione lactis capræ & vaccæ melior est. Præterea lac ovis melioris odoris, dulcioris & suavioris gustus, ipse caseus quoque vaccino minus viscosus. Ergo & hac ratione præferendus non obstante, quod vaccino sit terrestrior. Confer Aristotelem (x) Scribentem: Utilissimum ad conficiendum caseum, qui servetur, ovillum lac, deinde caprinum, tum bubulum. Ad bonitatem tamen ovini quàm proximè accedere creditur, & si rationem consulimus, etiam videtur vaccinus, quia in eo plus reperitur de butyrosa parte, quàm in ovino. Pars verò butyrosa cum sit calidæ & humidæ complexionis, remittit frigiditatem & siccitatem partis caseosæ, & sic complexionis humanæ magis proportionatum est, ac simul propter butyrositatem, quam serum vehit, optimè nutrit. Vaccinum juxta hanc sententiam excipiet caprinum, utpote quod ex lacte temperato constare dicitur, sed multum ab illis adhuc distat, cum statim exsiccetur & terrestris fiat. De quibus omnibus plura proponunt Medici, ut qui sanitatis nostræ curam dum gerunt, curiosiores etiam sunt in inquirendis viribus corporum, quæ in alimentum adsumuntur.

15. Quibus hoc subjungimus, fortè non contemnendum caseum haberi posse, si duæ partes lactis ovini, & tertia vaccini sumerentur, nam non solum gustui delectabilior, sed etiam sanior foret, quia digestionis & nutritionis magis aptus redditur.

16. Ex eadem caseorum diversitate videre est, alios esse mali odoris, alios non; sive enim dicas fœtorem esse qualitatem (cui tamen sententiæ non subscribo) ortam potissimum ex resolu-

A 3

tio

(x) Hist. Anim.
l. 3. c. 21.

tione & putrefactione ejus, quod siccum erat : sive cum Chymicis velis omnem odorem vel spiritum, vel sulphure vel sale contineri, & gratum quidem, cum pars sulphuris purior unà cum spiritu exhalatur, ingratum verò, cum crassum sulphur sale aculeatum adest. Semper tamen patet ; quosdam tantum caseos esse foetidos, non verò omnes, adeò ut J. P. Lotichius l. c. frustra dicat, foetorem esse casei accidens proprium & inseparabile ; non enim, omnis in putrefactione constitutus est, neque etiam omnis crasso sulphure & sale constat, cum distinxerimus inter recentes & veteres, salitos & non salitos. Præterea graveolentia cum foetidis non pari passu ambulant.

17. Porro si rationi insistimus, nec in eo possumus convenire, nec convenient fortè omnes Medici cum Lotichio, dum scribit, omnem caseum esse aut parvi aut nullius nutrimenti, gravare caput, gulam accendere, stomachum debilitare, sitim augere, renes infarcire, alvum constipare, urinam prohibere, crassos adustosque & melancholicos humores gignere, &c. Quo in passu prævios habere putat Dioscoridem, Celsum, Hippocratem & Galenum, qui diversis in libris & in specie lib. 3. de aliment. cap. de Caseo scribit : Omnium caseorum communis accusatio est humorum cacochymiam generare. Sed id absolute & simpliciter de caseo pronunciari nequit, considerandæ prius veniunt casei differentia, & diversæ corporis naturalis constitutiones. Et circa illas iterum notanda & qualitas & quantitas. Nam si ex quolibet genere optimus eligatur, id est, is qui ætate medius, odore jucundus, sapore suavis, & non nihil dulcis, debito modo salitus modicè pinguis, probe elaboratus, & ex optimo lacte factus, inter glutinosum & friabilem modum servans, nullasque cum inciditur, lacrymas profundens, juxta verficulum :

*Non Argus, Largus, non Magdalena, Mathusalem,
Non Abacuc, Lazarus, caseus iste bonus.*

Tunc sanitati non solum non nocet, sed etiam nutrimentum bonum præbet. Si quoque in debita quantitate & avarâ manu sumatur, non est, quod quis incommoda illa metuat. Novimus, scribit Vop. Fort. Plempius (*) nonagenarium senem, Doctorem Medicinæ, qui adeo caseum commendabat, ut ei bonam, firmam, integram

(*) de vol.
tuond. p. 152.

gramque valetudinem suam acceptam referret, nec posse quemque longævum aiebat fieri, nisi qui caseo vesceretur.

18. Ut verò ceu supra promissimus, clarius pateat, caseum posse esse bonū alimentum, ex principiis physicis nunc ulterius id deducendum erit. Est verò, secundum Aristotelem, (y) alimentum id, cuius beneficio facultas animæ vegetativa animatum corpus restaurat, atque servat. Dicitur trifariam, τροφή καὶ τὴν τροφὴν; τροφή καὶ τὸ οἶον τροφή, καὶ τὸ μέλλον, (z) alimentum quod actu nutrit, quod velut alimentum est, & quod futurum est alimentum. Jam dum caseum nutrimentum vocamus, non volumus, quasi jam animal nutriat, neque quod tale sit, quale est, quod nutrit, sed quod nutriturus, si benè sit concoctus. Quod verò jure ipsi competat nomen alimenti, patebit ex unico (plura enim per chartæ angustiam non licet) applicato alimenti requisito. Philosophus noster inquit alimentum dulce esse aut ἀπλῶς simpliciter aut μεμιγμένως dulcedinis, saltem alicujus particeps, sine dubio eam ob rationem, quia dulcia ob moderatum calorem calori nostro ferè sunt similia, ac propterea humanæ naturæ jucunda, grata, quod similitudine quadam illustrat Aristoteles. (aa) Quemadmodum autem calor in magno mundo attrahit id, quod in liquore est dulce: falsum verò quod est atque amarum propter gravitatem relinquit: Sic quoque calor animalium & plantarum, quod dulce est in alimento attrahit, quod autem est falsum & amarum negligit.

19. Nunc si consideramus caseum, quem tanquam bonæ notæ descripsimus, requisitum hoc alimenti in eo offendimus, constat tamen ex parte butyrosa & sic dulcedinis est particeps, quæ etiam augeri potest admixtis herbis vel aliis rebus, hinc mirum non est, quod naturæ nostræ gratum sit, & dein facile restaurare possit, quæ dissipata fuerunt, quia calor noster ob similem calorem moderatum à dulcedine proventem, cibum illum attrahit. Quo minus verò caseus participat ex dulcedine, eo minus etiam ex eo nutrimenti cedit corpori, & quo plus salis aut amari in se continet, eo magis etiam à calore nostro negligitur.

20. Hinc verò si quis caseum veterem, salitum, foetidum & alium malæ notæ manducaverit in quantitate indebita, tunc certum est sequi supra recensita mala, nullum nutrimentum, generatio.

(y) l. 2. de air.

6. 4.

(z) Hipp. l.

πρὸς τροφήν.

(aa) l. de sens.

6. sensib. 6. 14.

tio pravi sanguinis, & calculi in renibus & vesica, quia habet se- cum materiam lapidis & agens cooperans ad generationem lapi- dis nimirum caliditatem consurgentem ex sale & coagulo, quod adhuc magis dicendum est, de continuo esu, quò forsan veteres illi Autores respexerunt, caseum dum rejecerunt.


21. Dein secundum corporis quoque constitutiones diver- sas judicium ferendum erit. Si corpus firmum & vegetum fuerit, ita ut comestus caseus ritè concoqui & digeri possit, ex eo nil no- xæ metuendum. Si verò infirmum fuerit, habeatque ventriculum delicatulum venas exiles, renes calidos, siccos, angustos & quò fa- cilè obstrui possint, non mirum si ab illius usu fiat læsio: Ubi ta- men iterum discrimen notandum est, inter corpora benè consti- tuta, huic cibo assueta, ut sclavorum, servorum &c. & inter ea, quæ non sunt assueta.

22. Dantur siquidem plurima subjecta, quæ nunquam assue- scere, imo ne gustare quidem caseum possunt, & sic ab eo naturâ suâ abhorrent. Ratione mei hic occurrit quid singulare. Licet ad nomen meum constituendum concurrat vox casei, tamen per- omnem vitam averfatus fui caseum, sed non in totum, aspicere quidem & tolerare, ut alii eum in cibum capiant, possum, at hoc interea temporis non potest fieri absque ulla totius corporis alte- ratione, imprimis si adhuc jejuno sim stomacho. Ejus rei quæ cau- sa sit, inquit Vop. Fort. Plempius l. c. ut latinè loquar, nobis latet, hellenismus enim est dicere nos latet. Verum nobis hæc omninò occulta non videtur, sed præeunte Mart. Schoockio (bb) satis cla- ra. Scilicet non in causa est gravis odor, cerebro molestus, nec va- na persuasio casei esum lethalem esse, nec matrum gravidarum fa- stidium, quamvis si hæc adsint plurimùm promoverè possint aver- sationem. Sed quod interdum lacte alantur nutricum vel matrum, quæ prægnantes fuerunt. Tunc temporis enim ob foetum jam con- ceptum lac in uberibus nutricis vel matris coagulatur, & tenellus infantis stomachus adeò offenditur, ut sæpe illud ipsum lac & pari- ter ad tempus aliquod reliquos omnes cibos nauseare incipiat; hinc postea à caseo quoque, qui nihil aliud est, quàm lac vehemen- tiùs densatum & coagulatum toto vitæ tempore ahhorret, nisi lac illud caseatum corrigatur, aut loco illius aliud alimentum substi- tuatur. Et sic, Lector benevole, caseum apposuimus, si tibi nequam hic placuit, es!

(bb) Exerci-
tat. Academ.
de casei aver-
satione.







Q. D. B. V.
DISCURSUS PHYSICUS
DE
C A S E O,
ut est alimentum,
Quem
AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
SUFFRAGANTE
IN ILLUSTRISALANA
SUB PRÆSIDIO
M. JO. ANDREÆ Schmidten/
Facult. Philos. Adj.
Publicæ & placidæ Eruditorum cognitionis exponit
Auctor Responsurus
FRIDERICUS Käseberg/ Burgtorp. Cell.
ad diem Augusti, Anno M DC LXXX.

J E N Æ,
Literis WERTHERIANIS.

X 150 (88)